

præsertim, si idem labor bis terve repetatur. Aliqui amalgama cum floribus sulphuris terunt, & in crucibulo ponunt inter carbones vivos, bacillo ferreo continuo movendo, donec ðius in auras abeat. Hæ veræ Philosophicæ præparationes sunt ad aurum potabile, & alias operationes physicæ. Antequam porro aurum calcinetur hac Philosophica calcinatione, debet prius, ut dictum est, cementari vel cemento vulgari, vel regali.

3.

Cementum vulgare ita fit.

Rec. farinæ laterum unc. 8. sal. præparat. unc. 4. salis petrae, æruginis ana unciam semis.

4.

Cementum regale, quod soli auro probatissimo par sit.

Rec. farinæ laterum part. 4. sal. armon. gemmæ communis præparati ana partem unam, commixta uniantur, & urina humectentur.

5.

Quidam auri bractæas antiq. compon.

Candescunt, sinuntque refrigerare, ut si quid inquinatum in cute hæserit, id consumatur, & liberiolem accessum, & impressionem relinquat medicaminum acumini.

Omnibus rite præparatis ollæ cæmentoriæ imponitur æqualiter crassitie digitali; huic super imponuntur bractææ aureæ urina irrigatæ, eo ordine & modo, ut æquali situ se non contingant mutuo, ne corpus corpori cohærens id accendat, caloreque aucto oras colliquet.

Disposito primo ordine bractææ obruuntur, & conteguntur pulvere cæmenti digiti crassitie. Iterum ponuntur bractææ, & vicissim pulvis usque ad ollæ marginem. Ultimo imponitur operculum sine respiraculo, si pro cemento vulgari; at si pro regali, operculum habeat foramen parvum, ignis datur ad viginti quatuor horas: ita ut olla sive pyxis tota rubescat.

Finito opere bractææ aureæ pede leporino purgantur a pulveribus adhærentibus, & urina lavantur & exsiccantur. Omnium autem perfectissimum cæmentum est illud, quod sequitur. Liquefac aurum cum duplo sui ponderis optimi cupri: reduc in lamellas tenuissimas instar papyri, quas cæmenta per 40. vel 50. horas igne forti, faciendo stratum supra stratum, ut in cemento regali dictum est, cum farina laterum sale communi, Colcothare virid. æris, & modico Sale armoniaco cum aceto forti permixtis, in hoc examine totum cuprum evanescit sulphure ipsius incombustibili, & tinctura in auri substantia remanente.

NB. optima & philosophica autem est auri purgatio, quæ fit per 6. partes ☿ fusi, istaque ter repetatur. Dein ad cæmentationem, vel calcinationem per 7 & ☿ procedatur.

LII II 3

6. Cal-